



DE  
 VIRIS ERVDITIS  
 GEDANI  
 ORTIS  
 COMMENTATIO.

I.



Eruditorum Virorum vitas exponere & scripta recensere, vetus ac laudabile institutum est, quod non minus ad illorum gloriam, quam ad posteritatis exemplum & utilitatem pertinet. Quamvis enim virtus proprio quodam splendore luceat, & aliorum commendationem non desideret: tamen ipsa dies, ut alia omnia minuit, ita hujus quoque memoriam saepe obscurat, ac tantum non prorsus extingvit. Similis videtur Gassendo (\*) *fama Virorum eruditorum crepusculo, quae licet initio clara, ita tamen*

A

par-

---

\* In praefat. vitae Peirescii.